

potheseos. Externus enim aër cum subiecto sibi cylindro aqueo superat interni aëris solitarias vires, uti sæpius est di-
 etum, & sic obturaculum in valvula sustentat. Quod si verò
 aqua per obturaculi commissuras se insinuet ut supernæ ejus
 faciei supereminere incipiat, interni aëris vires hac nova pon-
 deris aquei accessione magis magisque augmentur, ita ut, aqua
 intra tubum cum illa extra eundem ad æqualem altitudinem
 & æquilibrium reductâ, tum demum incipient intus extus
 que prementium vires adæquari. Tum verò intus premen-
 tibus accedens proprium obturaculi pondus hæc facit ne-
 cessariò vincere, propriumque lapsum suo ipsius auxilio pro-
 curat. Quod si obturaculo pondus f in super appensum est,
 quo majus hoc fuerit, eo plus auxilii feret aëri interno, ut ex-
 trudere obturaculum etiam antè possit, quām aqueus cylin-
 drus intra tubum cum exteriore ad æquilibrium pervenerit.
 Utrumque igitur MORI experimentum ejusmodi est, ut,
 nisi sic haberent, hypothesis nostra caderet hoc uno i&t, &
 tamen (quod mirum) eandem hanc iis ipsis suis experimen-
 tis prosternere conatur Morus; quām feliciter autem, videa-
 tur in Appendice hujus Part. II. num. XLVIII. &c.

TENTAMEN IV.

De

*Hydrostathmicis quibusdam instrumentis eorumq;
 lusibus cum voluptate spectandis.*

I.

Diverorum liquorum pondus diversum esse tum aliunde constare diximus, tum ex eo maximè cerni, quòd, quæ in uno submerguntur corpora, in aliis supernant, & quæ supernant in pluribus, in uno tamen profundius, quām in altero, mergantur; indeque sponte sua sequebatur hoc monitum: Ferrum, plumbum, aliaque metalla, etiam sibi re- ligata